

h. XII, 21. (X 188 4036)

II n
1570

SACR. IMPP. ROMAN.

EX

OTTONIBUS

DE SAXONUM GENTE

SYMBOLA BINA

ABITURIENTES AD ACADEMIAS
PENSITABUNT,

EOSQUE UT AUSCULTENT

AD D. XXIII^{II} MAII, A. ÆR. CHR. c15 Idc XCIIX.

REI LITERARIÆ INSPECTORES,
PATRONOS ET AMICOS,

DECENTER INVITARE
DEBUI

M. DAVID Winter/ S. C. RECTOR.

PRÆLO BITTORFIANO.





B. C. D.

Virtutem *Belli, Pacisque* Sapientiam, *Palladium* verè nobile, Urbiumq; & Imperiorum Custodem esse certissimum, si quisquam alius, tenuit **DIV. OTTO**, proximus a primo, Rom. Imp. Invictissimus. Patris enim, cognomento *Magni*, cujus nuper admodum Pietatem laudavimus & Religionem, Filius æmulus, Hujusque cognominis Hæres & Successor, eadem dignitate floruerunt Imperatoria. Tantæ nimirum admirationis **OTTONUM** Nomen, quos Saxonia dedit, ut in historiarum monumentis passim sit decantatum; cumque primitus a Carolo M. Successores vocati *Caroli* vel a] *Carlini*; sic ab *Ottone* Imperatore *Ottones* postmodum, ab *Henrico Henrici* dicti fuerunt. Id etiam rarissimum contigit, quòd per integrum ferè seculum, Millenarii primi post **CHRISTUM** natum, ultimum, cum potestate summa præfuerint Augusti b] *Proavus, Avus, Pater & Pronepos*. Proavus equidem **HENRICUS** *Auceps*, & Abavus **OTTO** quoque, (qui *Conradum*, Franciæ Orientalis Ducem, sui loco commendavit, quemq; eligere placuit, sic tamen, ut penes *Ottone* vis auctoritasque resideret) Duces Saxonum & Thuringorum, unanimi *Principum Francorum, Alemannorum, Bavarorum, Thuringorum & Saxonum* consensu, oblatum illud axioma magno animo, majori laude recusarunt; tandem tamen, se **DEI** & Principum voluntati acquieturum, respondit *Henricus*,
Regio

a] *Gottfr. Viterb. Chron. P. XVII. p. 472.*

b] *Jacob. Spigel. Schol. in l. i. Guntheri Ligurini de rebus gestis Friderici I. Aug. p. 277.*



Regio Titulo contentus. *c]* Qua voce motus Antecessor ejus, **CONRADUS**, cum pro sua prudentia intelligeret, noceri se non posse *Henrico*, quem **DEUS** mirabiliter tuebatur, odio & simulatione depositâ, ex hoste factus est amicissimus. Morti etenim vicinus optimum de adversario tulit judicium, Successoremque eligendum *d]* nominavit, (quippe Sacratissimorum in **IMPERIO ROM. CÆSARUM** Successiones electione temperatæ) quod & scientia rei militaris polleret, & pacis *e]* artibus abundaret. Pari modo *Pacis* consilio *Belli* calamitatem, *Belloque Pacem* plus vice simplici præverterunt *Posteri Principes*, Stirpe *Wittekindi* maximè orti, *f]* *Ottones*, *Bellicosissimi* pariter ac *Pacifici*, quorum memorabilia strictim attingere **L. B.** pace juvabit.

Primus **OTTO**, Filius *Henrici*, perpetuus defensor, & propagator Religionis Christianæ, *Vandalos*, graves Imperio hostes, post *Hungaros*, *Saxoniam* totamque Germaniam violenter ingressos, precibus in **DOMINO** confusus, incredibili cæde prostravit, quorum pars maxima Christianismum est amplexa: *Bohemos* rebelles perdomuit, *Danosque* eò adegit, ut *Idola* statim sint demoliti. Id temporis etiam *Poloniæ* Princeps *Micislaus*, Christianorum primus, *Bohemorum* Principis filiam, Christianam cum duxisset, hac occasione *Poloniæ* **CHRISTUS** innotescere cœpit. In isthoc verò *Augusto OTTONE* præ cæteris virtutibus omnibus humanitas & clementia eminebat. Hinc *Henricum* non solum fratrem, turbulentum Juvenem rebellemque, qui neque damnis neque beneficiis poterat mutari aut affici, reconciliatum sibi voluit; sed & *Berengarium*, ejusdem
cri-

c] *Fabric. Orig. Sax.* l. 2. p. 109.

d] *Casp. Sagittarius, Epist. de antiquo statu Thuringiæ* p. 46.

e] i. e. *Sapientia & Prudentia civili, G. Richter, Orat.* 7. Dec. 1. p. 187.

f] *Joh. Letus, Comp. Hist. univ.* p. 219. 214. *D. Spenerus, Syllog. Genealog.* p. 307. *Hildebr. Synops. Histor. univ.* p. 187. seqv.

crimīnis reum, q̄vi regia auctoritate dominabatur in Italia, exulem jam suscipere, inq̄ve Regnum restituere jussit. Quam sapientem in Imperii moderamine, quam fortē in adversariorum certamine, quam strenuum in Ecclesiasticis bonis tuendis se exhibuerit, facile enarrari non valet. A rebus præcipuè gestis *Magni* cognomen habuit, præcipuè domito *Boleslao*, Bohemiæ Rege, superatisq̄ve tribus gravissimis præliis *Hungaris*, captisq̄ve tribus eorum Regulis, quos victores Germani, *Ottone* licet renitente, sed frustra, vitam laqueo finire coegerunt. Ecceur autem *Legifer* sit appellatus a *Ligurino*, Poëta non invenuto, *Jac. Spigelius*, g] V. C. annotavit, vel quod Romani Principis est condere Leges, vel quod vetusta Saxonum jura emendaverit. Ferunt Annales, subjicit ille Scholiastes, eum æquitatis jurisq̄ve amantissimum peritos viros juri dicundo semper præfecisse. Quos quotve fundaverit Episcopatus, tradunt & *Paulus Langius* h] & *Albertus Kranzius* i] Deniq̄ summus ille vitiorum osor fuit & rofor, quod Symbolum ejus videtur indigitare: *Aut mors aut vita decora*: i. e. gloriosior mors, quam vita est improba & flagitiis contaminata.

Secundus OTTO verè secundus, iis institutus artibus a Patre *Magno*, quibus Successorem maximi Imperii decuit. k] Idèò linguas adolescens didicit, *Græcam, Latinam, Vandalicam*, quibus præter sermonem patrium uteretur, quæ eum apud Gentes exteris celebrem reddiderunt, & aliquando libertatem, ubi Græca lingua locutus, inter hostes servarunt. Cum Græcis & Saracenis strenue belligeravit, ingentiq̄ve horum multitudine cæsa, *pallida mors Saracenorum* dictus, & *Sanguinarius*, a severitate scil. in hostes, *Græcos & Italos*, in quos acriter animadvertit, quod pacem sæpè violarent. Interim dum *Græcos* incautè per Calabriam persequitur, amisso milite, desertusq̄ve a suis, proditus, victus, captusq̄ve de navi exsiliens natando in tutum pervenit, in eoq̄ fortunam fausticem non habuit, ancipitemq̄ belli esse apprehendit.

Ter-

g] loc. cit. p. 386.

h] Compilat. Chronolog. p. 755.

i] Lib. 3. *Saxonia* p. 78. Quibus adde *Kromeyer. Histor. Ecclesiast.* p. 407.

k] *Fabric.* l. c. p. 184.

Tertius hunc excepit OTTO, inde à puero *miraculosus* cognitus, & ob id *mundi miraculum* sive mirabilia, ob gloriam rerum gestarum, cognominatus, ad absolutam in omni actionum genere sapientiam & virtutem pervenit. Avi Patrisque exemplo *Religionis amantissimus*, quæ tum putabatur præcipua & singularis. Ut taceam bella, *Bavaricum, Danicum, Italicum, Slavicum*, quæ fortiter & viriliter gessit, invenisse scribitur Consilium salutare [] sapiensque (quamvis alii, in his *Schurzfleischum m*) celeberrimus, aliud sentiant) de constituendis viris gravibus & prudentibus, in quorum potestate esset Regem summo in terris honore dignum eligere. Accessit demum iter *Polonicum*, idque religiosum, quod Regii nominis assumendi occasionem præbuit; quippe a *Boleslao*, qui Ducis modò aut Principis nomine ornatus, magnificè exceptus, ut gratus esset, eum solenniter Regem creavit, sociumque & Amicum *Romani Imperatoris n*] appellavit. OTTONUM igitur singulorum, quos recensui, memoria, uti sanctè semper habenda; ita factum id legimus a sumis Principibus, quod Inscriptio hæc Monumenti, OTTONI III. sacra, & candido marmori incisa, in Templo Divæ Afræ Martyris Augustæ Vindellicorum, testatur.

IMP. CÆS. OTTONI AVG. III. EX GENTE WITKINDI SAXON. REG. CÆS. OTTONIS AVG. II. FIL. CÆS. OTTONIS AVG. MAGNI NEP. REG. HEINRICI AVG. AVCVPI PRONEP OTTONIS DUCIS SAX. ET ROM. IMPER. GVBERNATORIS AB NEP. LVITOLFI SAX. D. AT NEP. BRVNONIS QVE SAX. D. ET WITEKINDI FRATR. TRINEPOTI OB. X. KLS. FEBR. ANNO SALVT. M. II. REGNI XIX. IMPERII V. QVOD VISCERA EIVS HIC CONDITA JACENT: FRIDERICVS III. DVX SAXONIÆ PRINCEPS ELECTOR, COMES PROVINCIALIS TVRINGIÆ, MARCH. MISN. ET SACR. ROM. IMP. LOCVM TENENS GENERALIS PROGENITORIB. DVLCISS. FACIEND. CVRAVIT. SAL. ANN. M. D. XIII. V. IDVS MAII. o]

At [] *Fabric. l. c. p. 231. m*] de Friderico III. Elect. Sax. B. 3.

n] *Jac. Thomaf. Orat. p. 236. o*] *Fabr. p. 236.*

At verò, quid ab ultimis *Witekindi* temporibus *Herons* repetimus, qui bellicis non minus, quàm togatis virtutibus inclauerunt; suppetunt è recenti memoria *Electores Ensseri*, non *Enssium* vel *Belli* saltem, ut *FRIDERICUS I.* bellicæ fortitudinis laude atqve cognomento insignis, *Academia Lipsiensis Conditor* in æternum celebrandus; sed *Pacis* etiam, ut *FRIDERICUS II.* *Placidus*, studiosi: *Pacificique* Titulo ad posteritatem transmittendus, *FRIDERICUS III.* *Pacis* ac togæ studiis celeberrimus, *Fundator Academiae Witeb.* qui omnium consensu meruit, ut diceretur *amator Pacis*, *prudentissimus Princeps*, *Sapientie domicilium*, *Consiliorum Thesaurus*, *defensor Legum*, *controversiarum finis*, *Imperii Romani columen*, *monimentum Patrie*, *morum speculum*, *Decus Principum*, *disciplina civium*. Quanta porrò *ERNESTI* prudentia, *Autoritas* & *felicitas*? *Contententes de Silesia & Moravia tres Reges*, *Casimirum Polonum*, *Ladislavum Bohemum*, *Matthiam Ungarum*, ut in concordiam redirent, prudentia permovit, autoritate coëgit, facilitate adduxit. *ALBERTI* fratris ejus Germani indefessum studium, perpetua vigilantia non tantum excubuit pro *Misnie* finibus, ab externa vi defendendis, sed etiam omnes totius Romani Imperii partes atqve adeo ipsam Imperatoriam Majestatem complexa fuit.

Clarissima hæc *Domus Saxonica* Lumina dicam, an Numina, (ut de reliquis conticescam) sanè hoc ipsum Seculum adultum vertensqve in *JOHANNES GEORGIO I. II. III.* gloriosissima memoria, representavit & superavit ferè *Ottoniana* tempora illa prisca. Solus nunc Tanti Nominis *Primus* mihi memorandus, qui sua potentia & magnitudine copiarum nulli retrò *Electorum* concessit, & nutantes *FERDINANDI II.* res opibus atqve auxilio sustentavit, & ortis in Bohemia motibus maximo se periculo objecit, cum ut Cæsari fidem probaret, tum ut pactum *Unionis*, quo *Reges Bohemiae* atqve *Electores Saxoniae* mutuò copulantur, exemplo suo confirmaret. Quapropter hæc sententia *FERDINANDO II.* in urbe *Pragensi* expressa fertur: *JOH. GEORGIUM I.* *honestâ moderatione temperasse iram*, & non modo se *amicum Cæsaris*, sed *Patrem* etiam

Do-

Domui Augusta exhibuisse. Nihilo minore *Divis, Patre, Avo, Pro-
avoque* laudem postidea merebantur JOH. GEORGIUS II.
III. IV. cum Potentissimo hodie *Poloniarum* Rege, FRIDE-
RICO AUGUSTO, qui justa in causa *Magni LEOPOLDI*
Invicissimique Adjutores fuerunt, & non magis pro Ejus existi-
matione atque gloria, quam pro securitate Imperii opportunam
strenuamque bello adversus Orientales & Occidentales hostes o-
peram navarunt, ut hoc foret quoque prudentibus justum com-
mentationis argumentum, nec secula futura de eo forte tacebunt.

Et hæc talia sunt, quæ nunquam Ordinum S. R. I. bono-
rumque *Principum* memoria effluere solent, ut in *Pace de Bello*
semper cogitent, dum *Thracum Scytharumque* gens adhuc ad por-
tas Germaniæque fines invigilat. *Pacem* quidem non rarò cre-
pare videbantur *Turca*, sed fraude & insidiis omnia plena. Quis
enim ignorare potest, istos, licet multa cum multis ineant fœ-
dera; fuisse tamen semper & etiamnum esse *Pacis* conventæ ru-
ptores, violatores, & impudentissimos almae fidei temeratores.
Id sanè *Augusto* nostro LEOPOLDO ac Principibus Germa-
niæ persuasissimum. Nam cum probè perspectum habeant & co-
gnitum, *Turcam* potentissimum hostem esse, nec debili cum manu
terreri, superarive ab aliquo singulatum posse, virtutem, bellique
robur uniendum hætenus arbitrati sunt; ut qui a paucis vinci ne-
quiret, arctissima voluntatum, virium, nervorumque congluti-
natione facilius superaretur. Hinc est, quod *unita virtus* nun-
quam non valuerit, valet atque valebit. *Suffragiis & armis: Con-
silio & Robore: Unius dictu: Engiat Mars atque resurgat;* quæ nu-
perrimè in *solemnibus Pacis Ryswicensis* lemmata & Emblemata in-
ter alia conscripta cognovimus.

Sic coëant ^{armis} *Fortes, atque ostia ad Istrum*
_{animis}

Cesarem & Imperium Pax & Concordia jungant.

Cæterum cum Oratiunculas huic materiæ convenientes
habitori sint Nostri, quibuscum de *Pace & Bello Discordiaque*
& *unita Virtute*, tum imprimis verba ultima facient, simulque
Vale-

1570
Valere jubebunt, quibuscunque propter beneficia & benevolentiam se debere intelligant, DNN. INSPECTORIBUS Scholæ nostræ, PATRONIS ac PRÆCEPTORIBUS, oramus honestè, atque contendimus modestè, ut vocati frequentes hora IIX. crastino die conveniant, & perorantes benevolis animis & auribus audire dignentur. Ex illis

OTTONIS II. SYMBOLUM, quod circumfertur:

Pacem cum hominibus, cum vitis bellum;

Modestissimus Juvenis ornatissimusque

JO. GEORGIUS Ebersbach/Elsterbergâ-Variscus,
per integrum lustrum Scholæ Alumnus, exponet:

OTTONIS III. illud: *Unita virtus valet;*

GEORG. CAROLUS Zöphel/Neofano-Variscus,
enucleabit, Concordiamque commendabit.

Quibus accinet προπεμπικόν suum perbreve, *carminis amator emulus*, Sodalibusque faustissima quævis apprecabitur

JOH. GRAUPNERUS, Irfersgrünens. Variscus.

TANTUM.

P. P. CYGNEÆ, D. XXIII. MAII. ANNO,
quo comprecamur & ominamur:

PaX InCerta, Crepat Mars beLLa
noVa, aVspICE CHRISTO,
sit stabILE, eX Voto, reLLIgi-
ONIS opVs!



1077



5



m, *Palladium* verè nobile,
 lem esse certissimum, si quis-
 O, proximus a primo, Rom.
 omento *Magni*, cujus nuper
 gionem, Filius æmulus, Hu-
 adem dignitate floruerunt.
 ionis OTTONUM No-
 um monumentis passim sit,
 o M. Successores vocati *Ca-*
 tore *Ottones* postmodum, ab
 a rarissimum contigit, quòd
 primi post CHRISTUM
 præfuerint Augusti b] *Pro-*
 videm HENRICUS Au-
 vi *Conradum*, Franciæ Orien-
 vemq; eligere placuit, sic
 que resideret) Duces Saxo-
 ipam *Francorum*, *Alemanno-*
 num consensu, oblatum illud
 cusarunt; tandem tamen,
 turum, respondit *Henricus*,
 Regio

I. p. 472.
 antheri Ligurini de rebus ge-

